

2001

H O M I L E T I C I.

2002

Schierii Commentat. de Regia Budensi Bibliotheca.

DCCCXVII.

R. 3124 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 109. 4. per duas columnas priore parte elegantius scriptus, et rubricis distinctus ita in anteriore theca notatur: *Hunc libellum testatus est Monasterio sancte dorothee wienne dominus Erhardus grütsch de maricbekg Confessor ad sanctum Jacobum.* Insunt vero I. lectae in adjumentum sacrorum Oratorum *Autoritates Patrum*, quas praecedit Elenchus docens, quaenam quibus-

vis Dominicis aut Festis per anni decursum usui esse possint, tum materiaram Index. Sunt vero Patres: *Dionysius, Hilarius, Chrysostomus, Beda, Isidorus, Augustinus, Symmachus, Cassiodorus, Haymo, Rabanus, Rabbi Mosse, Damascenus, Ambrosius, Origenes, Gregorius M., Bernbardus, Hieronymus, Anselmus, Hesychius, Adamantius*, quem mirere divisum ab Origene, uti et Maimonidem inter Doctores Christianos. Ad calcem adscripti sunt Lusus poetici in laudem cujusdam *Ludolfi Decani*, e quibus saltem Distichon istud retrogradum adscribi meretur:

*Est decus ecclesiae Ludolfus, copia morum,
Semita virtutum, lux pia justitiae.*

II. fol. 61. Sequitur *Opus super Miserere mei Deus.* Commentarium puta, cujus extrema in v. *Tunc imponent super altare &c.* exeunt in *Sermonem de Virginitate bonum*, numero tamen Capitum seu §§. procurrente, quorum etiam adtexta est *Tabula.* Autorem ignoro, nisi is sit *Udo* seu *Hugo de Vitonio* ex Ord. Praed. Cardinalis ✠ a. 1371. e quo *Quetifus Yvonem* seu *Evenum de Begaignon* T. I. p. 667. effingere conatur, quemque fide *Lusitani* et *Altamirae* in Psalmum *Miserere* scripsisse refert. Commentarius ceterum infit: *Miserere mei Deus &c. Septem sunt defectus impellentes homines ad querendam misericordiam dei. Primus defectus est fortune &c.*

DCCCXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 709 XIII. Folior. 285. f. max. per duas columnas minutius, sed nitide exaratus, coloribus illustratus et quondam donatus *Librairie Collegij ducalis* a M. *Petro Czech de Pulka* noto Theologo nostro, D. *Stephani* Canonico et Plebano in *Lausse*, five *Lauchsee*, Pago hodie dicto *Lafsee*, vastum Opus continet duplici Praefamine gaudens, quorum prius inscribitur: *Incipit prologus in opus subsequens*, et incipit: *Dilectis plurimum et diligendis semper in uisceribus ihesu christi uenerando clero romano et uiris scolasticis prophetarum filijs epulantibus in domo calui elyseii pulmentum ex uase fictili. Petrus*

trus diuina permissione sancte romane ecclesie cardinalis indignus sic ex uase litere gustare pulmentum scripture ut per nostrum elyseum apposita farina spiritualis intelligentie pulmentum ipsum gustantium dulcescat in ore &c. Atque sic coactis undique allegoriis biblicis mystica in longum tenditur tractatio, e qua ad rem discimus, *Petrum per septennium scolarem in castris scolasticis cucurrisse, Dominum aperuisse os ejus, dum in cathedra seniorum et magistrorum laudabat eum, demum manum illum admouisse Operi, quo diuini verbi Praeconibus consuleret, cuius etiam methodum exponit. Praefamen alterum breuius inscribitur: Responsio magistri petri facta scolaribus in ipsis scolis insistentibus pro presenti opere inchoando. Incipit: Parvuli (literis uncialib. diplomat. quemadmodum et prima vox ipsius Operis) petierunt panem et non erat qui frangeret eis &c. atque hic primum docemur Operis titulum: laborabo — Alphabetum in artem sermocinandi exarare. Haec porro Ars pro literarum numero in *Libros XXIII.* dividitur, *Libri* singuli abeunt in *Capita*, quorum *Liber I.* five *A.* censet *81.* totidem videlicet *Voces*, quarum significatio et usus homileticus e sacris Literis in margine citatis exponitur. Sunt vero: *Alpha. Altissimus. Altum. Auxilium. Archana. Arguere. Aduentus christi.* et sic ulterius usque ad *Zizania.* Inscriptio Operis est: *Incipit Alphabetum in artem sermocinandi a magistro petro in scolis in-**

choatum et postmodum ab eodem sancte Romane Ecclesie Cardinali licet Indigno correcto ipso principio consulatum (consummatum?) Initium: *Alpha* siue principium creature. *Apoc. Ego sum alpha et omega &c. Alpha* scripture. unde ab illa prima littera usitata appellatione *alphabetum* appellamus. *Primum supra nos. Secundum extra nos &c.* Porro, ut Autor subministratae a se sacrae Supellestilis usum doceat, *fol. 275.* ita monet: *Ut autem o lector preter omnem doctrinam superiorem circa uolumen prescriptum occurrat tibi facilius quod intendis. Cum uolueris uerbum aliquod exortatorium proponere attende diligenter et perquire sollicitate que scriptura sit tam de dominicalibus diebus et quibusdam ferialibus quam de festis per circulum anni.* Atque hoc deinceps per singulos hosce dies ostendit citatis Operis *Capitibus*, ad quae pro materia recurri potest. Singulare est, *Alphabetum* istud in nullius primorum Typographorum manus incidisse, qui non reformidabant vasta Corpora, ut *Lirani Postilla, Job. Balbi Catholicon &c.* docent. *Codices* ejus *ms.* plures indicat *Oudinus T. II. col. 1721.* potissimum in Bibliothecis *Ord. Cist.* a se uisos, quo loco etiam Autoris *Petri de Mora Beneventani* res exequitur. Eisdem tradit *Ciaconius* in *vit. Pontiff. et Cardd. T. II. col. 24.* nulla tamen *Alphabeti* nostri mentione facta. *Conueniunt*, ab *Innocentio III.* cuius *Decretales* redegit in ordinem, *Cardinalem Diaconum creatum fuisse;*

2005

HOMILETICI

2006

fuisse; ille vero vult *S. Mariae in Aquirio*, hic *S. Angeli*. Neuter tamen verbulum facit de ejus Magisterio Scholae theologiae, quo eum ante Purpuram functum ex adlatis *Praefaminibus* liquet. An *Bononiae*? Dicerem fortasse, si ad manum esset *Sartii* et *Fattorini* Commentarius de *claris Archigymnasi Bononiens. Professoribus* a Sec. XI. ad XIV. Annum mortis Nostro statuunt 1213—16.

DCCCXIX.

R. 865 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 104. f. per duas columnas minutius et multis compendiis exaratus, coloribus distinctus et fronte literas MB sub cruce deauratas praefereus Congeries est plurimorum Vocabulorum

nulla servata Alphabeti lege in usum Homiletarum ita aptata, ut de quovis promptam habeant cum divisionis, tum amplificationis materiem. Initium ducitur a voce *Paulus*; sic: *Queritur quando hoc nomen pauli apostolo fuerit primo impositum. cum ante vocaretur saulus. Resp. opinio Origenis super epistolam ad ro. quod apostolus semper fuit binominis &c.* Sequuntur Vocabula: *Seruus. Servire. Peccatum. Mendacij. Fides. Pietas. Electus. Spes. Sperare. Verbum Dei. Predicatio. Predicator. Salvator. Dilectio &c.* usque ad numerum 321. Ut autem difficultati in quaerenda materia occurratur, adest in calce Index alphabeticus. Ceterum Autoris, Temporis, Locum nullum vestigium.



Denis Codd. Theol. V. II. P. III.

P

CODI.